ſonam tenere aliquem, aut ſub fidejuſſoribus facere, aut aliquid exigere, aut cogere tranſactiones, aut pacta quædam cum ſuis adverſariis exponere, aut quolibet modo in quacunque cauſa ſe permiſcere. Nihil enim aliud facere eos concedimus, niſi ſolas noſtras juſſiones in quocunque negotio, aut ex ſcripto aut non ſcripto prolatas, competentibus aut deputatis inſinuare judicibus. Si quid autem præſenti legi contrarium aliquis eorum præſumpſerit agere: is quidem qui damnum aliquod aut circumventionem in ſuis rebus pertulerit, nullum præjudicium penitus circa jus proprium ſuſtinebit. Qui vero tale aliquid egerit, ex ſua ſubſtantia damnum læſæ perſonæ delatum, per competentem judicem reſtituere compelletur: & ſuper hoc cinguli & dignitatis ſuſtinebit amiſſionem. Hæc autem omnia jubemus non ſolum in futuris cauſis, ſed etiam in his quæ jam inchoatæ, nondum tamen ſunt terminatæ, ſervari.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia præſentem legem in perpetuum valituram edictis ſolemnibus in regia civitate propoſitis, ad omnium notitiam venire procuret: ut omnes agnoſcant quæ pro communi eorum beneficio a nobis diſpoſita ſunt. Datum * BASILIO [1] CONS.

TIT. VIII.

UT JUDICES [2] NON EXPECTENT SACRAS JUSSIONES, SED QUÆ VIDENTUR EIS DECERNANT.

NOVELLA CONSTIT. CXXV.

Imper. Juſtin. Auguſt. Gabrieli glorioſiſſ. prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

QUoniam quidam judicantium, poſt multa litis certamina, & plurima a litigantibus facta diſpendia in negotiis apud eos motis, ſuggeſtionibus utuntur ad noſtram tranquillitatem: præſenti generali lege hoc perſpeximus emendare, ne dilationes negotiis ex hoc fiant, & aliud rurſus principium examinationis accipiant.

CAP. I.

JUbemus [3] igitur nulli [4] judicantium quolibet modo vel tempore pro cauſis apud ſe propoſitis nuntiare ad noſtram tranquillitatem, ſed examinare perfecte cauſam: & quod iis juſtum legitimumque videtur decernere: & ſi quidem partes ceſſaverint in iis, quæ decreta ſunt, executioni tradi ſententiam ſecundum legum virtutem. Si autem aliquis putaverit ex prolata noviſſima ſententia ſe læſum, appellatione utatur legitima: & hoc ſecundum ordinem legibus definitum examinetur, & perfectum ſuſcipiat terminum. Si autem duo vel amplius fuerint cognitores litis, & aliqua inter eos emergat diſſonantia: etiam ſic jubemus unumquemque eorum ſecundum quod videtur ei, dare ſuam ſententiam.

EPILOGUS.

† Quæ igitur per præſentem legem in perpetuum valituram noſtra tranquillitas definivit, tam tua celſitudo, quam omnes alii judices majores & minores cuſtodire feſtinent: ut nullus penitus ignoret, quæ pro utilitate noſtrorum collatorum a nobis diſpoſita ſunt: ita tamen, ut univerſis interdicatis proprio præcepto, quatenus ſine ullo injuſto diſpendio noſtris collatoribus inſinuatio legis præſentis fiat. Dat. Id. Octobr. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Auguſt. BASILIO [5] V. C. CONS.

TIT. IX.

EXEMPLUM [6] SACRÆ [7] FORMÆ DE APPELLATIONIBUS [8].

NOVELLA CONSTIT. CXXVI.

Imper. Juſtin. Auguſt. Petro glorioſiſſ. prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

MAnifeſte Theodoſius & Valentinianus ſacratiſſimi principes lege [9] expreſſerunt, ut cauſas appellationum quæſtor ſacri palatii una cum præfecto Orientalium prætoriorum, qui pro tempore thronum regat excellentiæ tuæ, ſecundum formam [10] ſacrarum conſultationum examinaret. Invenimus autem in hujuſmodi examinationibus aliquid evenire, quod & reipubl. & noſtro indignum ſit imperio. Litigatores enim & procuratores, & horum advocati, & omnes, qui in hujuſmodi cauſis miniſterium ſuum adhibent, quaſi nobis ipſis præſidentibus & audientiam præbentibus, tam veſte [11], quam calceamentis [12], & verbis [13] apud noſtros magiſtratus utuntur, quibus ſolummodo uti convenit eos qui ad majeſtatem ingrediuntur Imperatoriam. Quin & ipſi judices non ex propria perſona, ſed quaſi nobis ipſis præſentibus & interloquentibus, ita ſuas proferunt ſententias.

CAP. I.

QUod de cætero in quocunque judicio fieri prohibemus, ſancientes, ut ſacri quidem noſtri palatii pro tempore quæſtor quidem una cum tua excellentia, ſive pro tempore ſacrorum prætoriorum præfecto hujuſmodi cauſas examinet: non autem ex noſtra, ſed ex propriis perſonis interlocutorias proferant, & legibus cognitam edant ſententiam: ſolitis videlicet ſcriniis in hujuſmodi cognitionibus ſuum adhibentibus miniſterium: ſcientibus quoque magiſtratibus, qui id genus cauſas dijudicant, quod ſi quid hæc contra quocunque modo de cætero delicti fuerit admiſſum, crimini perduellionis ſubjacebunt.

CAP. II.

IN [14] omnibus præterea appellationibus hoc valere jubemus, ut quotieſcunque appellatione interpoſita, intra præfinitum tempus utraque pars fatalem diem obſervaverit, abſque omni dilatione judices tum acta cauſæ, tum judicata examinare ſtudeant, & legi ac juri conſentaneam depromere ſententiam. Sin vero ſolus is qui provocavit fatali die ingreſſus fuerit: jubemus, ut judices ſub extremum fatalem diem, ſi vel requiſitus victor non inventus fuerit, examinatis actis cauſæ legitimum adſignent terminum. Si ſolus is qui victricem retulit ſententiam, ingrediatur: qui vero provocavit, requiſitus inventus non fuerit: præſtolentur judices non ſolum ad extremum uſque fatalem diem, ſed etiam per tempus reparationis, hoc eſt, tres menſes. Quod ſi ne tunc quidem inventus fuerit, qui provocavit, non amplius decurſu temporis corroboretur ſententia, ſed vel una tantum parte præſente judices actitata in cauſa & judicata examinent. Et ſi quidem recte prolatam ſententiam invenerint, eam confirment. Si quid in ea per negligentiam omiſſum eſt: id corrigant, & legitimam edant ſententiam. Simulatque [15] vero ſemel appellationis cauſa intra eos dies, qui dilationis cauſa præfiniti ſunt, ſive ab utraque parte, ſive ab una tantum introducta fuerit: non amplius biennii decurſu firmitatem de cætero capiat ſententia, ſed attentis oculis veritate ac jure conſiderato, terminum hujuſmodi cauſis legitimum adhibeant, ſive una, ſive utraque parte præſente. Ac propterea [16] jubemus, ut in hoc genere cauſarum non amplius, quemadmodum in præſentem uſque diem obtinuit, in primam appellationem omnes cognitiones conferantur, ſed unaquæque cognitio ſuum diem præſcriptum habeat.

CAP. III.

AD hæc ſancimus, ut omnes judices appellationem quidem, quæ intra deputatos dies offertur, neque interdicta [17] eſt legibus, omnibus modis ſuſcipiant [18]. Intra triginta vero dies quam oblata fuit appellatio, actitata [19] in cauſa cum propria [20] ſubſcriptione præbeant litigatoribus, ut illi pro ſuo hæc auxilio competenti poſſint inſinuare magiſtratui. Quod ſi quis judicum hoc facere ſuperſederit: ſententia quidem temporis decurſu confirmabitur, ipſe vero judex, qui iſta non obſervavit, quique huic apparent, omne damnum, quod per cauſam non editorum actorum litigator ſuſtinuerit, ex propriis facultatibus ei reſarcire compelletur, & denarum librarum auri pœnam noſtris inferendam rebus privatis perſolvet.

EPILOGUS.

† Glorioſa igitur, & magnis rebus gerendis nata auctoritas tua præſentem legem & in regia urbe proponere ſtudeto, & *alibi manifeſtam facere procurato*, ut omnes cognoſcant, quid obſervare debeant.

TIT. X.

UT FRATRUM [21] FILII SUCCEDANT [22] PARITER AD [23] IMITATIONEM FRATRUM ETIAM ASCENDENTIBUS EXTANTIBUS. ET UT MULIERES NON INSINUATA [24] ANTENUPTIALI DONATIONE NON LÆDANTUR: NON INSINUANS AUTEM VIR, VEL SI COMPETAT NUPTIALE LUCRUM, EO NON FRUATUR. ET UT MULIERES NON SECUNDO NUBENTES, DOMINÆ SINT PARTIS SPONSALITIÆ LARGITATIS, QUANTUM [25] PARS FACIT UNIUS FILII. ET UT SIMILES SINT POENÆ VIRILIS SEXUS, DUM SINE [26] CAUSA RATIONABILI REPUDIUM MITTITUR.

NOVELLA CONSTIT. CXXVII.

Idem Auguſt. Baſſo præfecto prætoriorum.

PRÆFATIO.

NOſtras leges emendare [27] nos non piget, ubi utilitatem ſubjectis invenire volumus. Meminimus igitur ſcripſiſſe legem [28], ut ſi quis moriatur relinquens fratres, & præmortui fratris filios [29]: ad ſimilitudinem fratrum, & præmortui fratris filii ad hereditatem vocentur, paternum adimplentes gradum, & illius ferentes portionem. Si vero moriens relinquat aſcendentium aliquos, & fratres ex utriſque parentibus conjunctos ſibi, & filios ex præmortuo fratre: fratres quidem juſſimus per ipſam legem cum parentibus vocari: fratris vero filios excluſimus.

CAP. I.

Ut fratrum filii ſuccedant etiam aſcendentibus primi gradus extantibus.

HOc [30] itaque juſte corrigentes [31], ſancimus, ut ſi quis moriens relinquat aſcendentium aliquem, & fratres qui poſſint cum parentibus vocari, & alterius præmortui fratris filios: cum aſcendentibus & fratribus vocentur etiam præmortui fratris filii, & tantam accipiant por-

1 Id eſt, anno 541.
2 Ut judices nulla relatione utantur ad Principem, Jul. *conſt.* 112. de Judicibus. *Index Reginæ.* Goth. Vid. Ritterſhuſ. *expoſ. nov. part.* 9. *cap.* 7. Anſ. 3 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Novo jure. C. de relat.* 4 Hac Novella tolluntur relationes judicum, quæ ſuperioribus comprobatæ ſunt. *Novell.* 82. *c.* 14. *Nov.* 113. *c.* 1. *Nov.* 115. 5 Id eſt, anno 541.
6 Græci *ἴσον* appellant. 7 Julianus hanc hujus Novell. inſcriptionem habet. Quomodo ſacrum auditorium celebrari oportet, & poſt *cap.* 42. *de appellationibus.* Goth. Vid. ad hanc Nov. Ritterſhuſ. *in expoſit. Nov. part.* 10. *cap.* 6. Anſ. 8 Vid. Jul. *conſtit.* 113. adde *Novell.* 20. & 23. *c.* 2. 9 *l.* 32. *C. de appell.* 10 Id eſt, ſervata forma & obſervatione, & iiſdem temporibus, quibus in ſacro conſiſtorio lites finiuntur. 11 Id eſt, veſtitu eodem omnes utebantur, quo tantum apud principem uti licet. 12 Id eſt, *campagis*, ut Julianus interpres ait, qua voce utuntur Capitolinus & Pollio, pro calceamento regio, de qua re vide hic Cujacium, & Petrum Pithœum *adverſar.* 16. ubi etiam monet, legi *Compaces.* his adde quæ ſcripſi de calceis ſenatorum ad *l.* 100. *ff. de verb. ſign.* mullei dicebantur, quibus primi reges Albanorum utebantur. Feſtus *in mulleos*: Cæterum ut de Campagis hoc addam, vox Compagi in Decretis reperitur apud Greg. *epiſt. ad Joannem Syracuſanum in can. provenit. & can. Illud. diſtinct.* 93. ubi vetat, diaconos abſque Apoſtolica licentia uti compagis & mappulis.

13 Præfecti prætorio & quæſtores ſic pronunciabant, *Noſtra ſerenitas, noſtra pietas, noſtra manſuetudo.* & advocati iiſdem vocibus ad eos utebantur. Julian. *conſt.* 113. [illegible] hodie [illegible] *Alteſſe, Excellence, Grace,* & ſimilibus. 14 Vid. Julian. *num.* 422. [illegible] *dict. loco cap.* [illegible] 16 Vide Cujac. [illegible] 17 Jul. *hic n.* 423. 18 *Nov.* [illegible] latione. [illegible] qui ſubſcripſerint [illegible]
21 De ſucceſſione, quæ ab inteſtato defertur fratribus & parentibus & filiis fratrum, Jul. *conſt.* [illegible] 23 *c.* 1. [illegible] interdum [illegible] 5. *cap.* [illegible] *Nov.* 118. [illegible] tes. *Aut.* [illegible] Anſ. [illegible] parentibus & fratribus [illegible] quod poſtremum [illegible]

tionem,

tionem, quantam eorum futurus erat pater accipere ſi vixiſſet. Hoc vero ſancimus de illis filiis fratris, quorum pater ex utroque parente jungebatur defuncto, & abſolute dicimus: ordinem, quando cum ſolis vocantur fratribus, eundem eos habere jubemus, & quando cum fratribus vocantur aliqui aſcendentium ad hereditatem, [hoc [1] jubentes ex Kal. Jan. præſentis indictionis undecimæ.]

CAP. II.

Quando donatio propter [2] nuptias inſinuationi [3] ſubjaceat.

ILlud [4] quoque dignum correctione aliqua eſſe judicantes, partem hoc præſentis facimus legis: ex ipſo enim rerum invenientes experimento, neceſſarium eſſe mulieribus, actis monumentorum antenuptiales donationes inſinuari, ut [5] vel ſi principalia inſtrumenta [6] pereant, (quod facile eſt,) per monumenta matrimonii ejus probatio maneat: ſancimus neceſſitatem habere viros ipſos, aut etiam qui pro eis antenuptiales donationes ſcribunt, ſi quingentorum [7] ſolidorum tranſcendit quantitatem, inſinuare eam in actis monumentorum, in regia [8] quidem civitate apud [9] magiſtrum cenſus: in provinciis autem apud uniuſcujuſque civitatis defenſorem, aut apud quos omnino talia documenta confici poſſunt. Si vero non inſinuent eas: quantum [10] quidem ad partem mulieris, etiam ſic eas valere jubemus, & ſi tempus fiat exactionis, donationis, & partis ejus: non opponi mulieri non inſinuatam fuiſſe donationem. Si vero dotalium pacta & horum eventus parti [11] viri concedunt actionem dotis, aut etiam ejus partis: nullam eum habere jubemus actionem, ſi non donationem inſinuavit in actis monumentorum, ſicut dictum eſt, viris enim habentibus poteſtatem inſinuare donationes, pro non inſinuatis periculum mulieribus imminere, ineptum nobis eſſe videtur.

CAP. III.

Ut mulier quæ ad ſecundas [12] non tranſit nuptias, tantum habeat, quantum unus filiorum.

QUia [13] vero mulieres ad ſecundas nuptias non venientes, portione aliqua dignas ultra eas quæ ſecundo nubunt eſſe putamus: ſi qua amiſſo viro, alterius abſtineat nuptiis, habere quidem eam uſum antenuptialis donationis, ſicut prius ſancimus: habere vero eam & proprietatis [14] tantum, quantum filiorum quantitas faciat: ut ſecundum proprietatis rationem unius & ipſa filii perſonam obtinere videatur. Hæc vero valere non in matribus ſolis jubemus, ſed etiam in patribus, & aliis aſcendentibus volumus, ad ſecundas nuptias non venientibus.

CAP. IV.

Matrimonium ſine [15] cauſa diſſolvendum non eſſe.

QUia vero interdiximus dudum per noſtram legem & viris & mulieribus repudia mittere, & tranſigere matrimonia, (niſi tamen quædam ſit cauſa noſtræ legi cognita) & pœnas hoc facientibus & viris & mulieribus impoſuimus: mutationem quandam circa pœnas viri ac mulieris facientes, & ad melius hoc transformantes, ſancimus nullam eſſe differentiam quantum ad pœnam inter virum & mulierem hoc præſumentes: ſed iiſdem [16] pœnis quæ contra mulieres a nobis definitæ ſunt, ſi ſine cauſa noſtræ legi cognita matrimonia diſtrahant, etiam viros ſubdi hoc præſumentes, & ſimiles pœnas eſſe in viro, & in muliere. in delicto [17] enim æquali ſimiles eis imminere pœnas juſtum eſſe putamus.

EPILOGUS.

† Præſentem igitur generalem legem noſtram manifeſtam tua gloria faciat per edicta ſolennia & iis qui hanc maximam civitatem, & qui provincias habitant: ut nullus hominum quæ ad ſalutem communem ſancita ſunt a nobis, ignoret. Dat. 5. Kal. Sept. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Aug. Anno XXII. [18] poſt Conſ. BASILII V. C. Anno VII.

TIT. XI.

DE [19] COLLATORIBUS, ET ALIIS CAPITULIS.

NOVELLA CONSTIT. CXXVIII.

Imp. Juſt. Aug. Petro glorioſiſſ. ſacrorum prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

CAP. I.

QUæcunque ad utilitatem noſtrorum collatorum reſpiciunt, ſtudentes adimplere, & hanc præſentem ponimus legem: per quam ſancimus per Julium vel Auguſtum menſem uniuſcujuſque indictionis, particulares diſpoſitiones collationum futuræ indictionis in foro uniuſcujuſque diœceſis glorioſiſſimorum noſtrorum præfectorum ſub confectione monumentorum manifeſtari: declarantes quantum unicuique provinciæ ſive civitati pro unoquoque jugo [20], aut villis, aut centuriis [21], aut alio quolibet, tam in ſpecie quam in auro, fiſcalium cauſa imminet: indicantes quoque ſpecierum æſtimationem ſecundum menſuram in unoquoque loco tenentem, & quicquid ex his in arcam inferri, aut in unaquaque dari aut expendi oportet. Sic igitur compoſitas tales diſpoſitiones provinciarum judicibus mox deſtinari in procemiis [22] uniuſcujuſque indictionis, & per eos proponi in civitatibus ſub eis conſtitutis intra Septembrem aut Octobrem menſes. Sed & volumus exemplaria eorum ex foro glorioſiſſimorum præfectorum ſine dilatione dari: ut collatores cognoſcant quemadmodum debent collationem inferre. Si vero ante inſinuationem in alios titulos, præter eos, qui continentur particulari diſpoſitione anni, collatores fiſcalia exolvant, aut in provincia expendant: jubemus eis in ejuſdem indictionis collationes hoc reputari: ut nullum ipſi patiantur damnum. Si vero ſecundum a nobis definitum tempus non dirigantur hujuſmodi particulares diſpoſitiones: qui quidem per tempus gubernant noſtrum prætorium, triginta librarum auri pœnam perſolvant: uniuſcujuſque vero provinciæ contractæ quinque & viginti librarum auri pœnam exigantur. Si autem judex miſſus eaſdem particulares diſpoſitiones, in provinciis non propoſuerit, decem librarum auri pœna damnabitur, & ſpoliationem cinguli ſuſtinebit: ejus quoque officium quinque libras auri exigetur.

CAP. II.

JUbemus vero ſpecierum quidem illationem mox ex principiis [23] uniuſcujuſque indictionis incipere: argenti vero illationis titulum ſecundum definita tempora.

CAP. III. [24].

PRo fiſcalibus autem collationibus deſuſcepta [25] ſive ſecuritates particulares aut plenarias [26], omnibus ab iis qui fiſcalia ſuſcipiunt, fieri definivimus, manifeſtantes & ſolidorum qualitatem [27], & ſpecierum, necnon & jugorum [28], ſive villarum, ſive centuriarum [29] & nomina poſſeſſionum, pro quibus functiones ſuſcipiunt. Si vero ſecundum prædictum modum deſuſcepta [30] ſive ſecuritates non fecerint: jubemus eos & pœnam x. librarum auri exigi, & tormentis ſubdi: ſimiliter judicem provinciæ decem librarum auri exigi pœnam, ſi de hoc interpellatus non judicaverit, & compulerit deſuſcepta ſive ſecuritates ſecundum quem definivimus ordinem ſcribi.

CAP. IV.

HOc autem jubemus obſervari, ſi quis forſan collatorum dubitat [31] de poſſeſſione pro qua fiſcalia exiguntur, aut pro qua fiſcalium quantitate: omnibus modis fiſcalium [32] deſcriptionum cuſtodes cogi a provinciæ judice, aut illo negligente a locorum ſanctiſſimo epiſcopo eas proferre & fiſcalium oſtendere quantitatem, & ſervitutem publicæ deſcriptionis exigi poſſeſſorem.

CAP. V.

ET in hoc quoque adjuvare noſtros collatores perſpeximus, ut non neceſſitas inferatur poſſeſſoribus [33] ſub hypothecis decimationes nominare in auro collationis, ut non aliquam ex hoc ipſi patiantur læſionem, ſed eos quibus in unaquaque provincia aut civitate periculum fiſcalium exactionum imminet, ſive [34] vindices [35] ſint, ſive curiales, ſive exactores, aut canonicarii [36]: aut alii quidam: proprio periculo & ſuſcipere pecunias & tranſmittere, & expendere in quibus deputatæ ſunt utilitatibus.

CAP. VI.

ET hoc cuſtodiri jubemus, canonicarium [37] talem in provinciam deſtinari, qui poſſit periculo ordinantium [38] eum exigere fiſcalia tributa, & per nullam [39] occaſionem impulſorem [40] poſt eum mitti, & damnum ſubjectis inferri impulſionis: & ipſum vocabulum [41] de cætero perimimus. Si vero non opportunus inveniatur canonicarius: non impulſor mittatur, ſed illo remoto alter dirigatur canonicarius. Ipſum quoque canonicarium contentum eſſe jubemus deputatis conſuetudinibus [42], & nullam ſubjectis inferre læſionem.

CAP. VII. [43].

SIn autem aliquando contigerit ſuperindictionem [44] cujuslibet poſſeſſionis conſervæ [45] aut contributariæ fieri: ex illo tempore jube-

1 Incluſa deſunt in Scrimgeri editione, leguntur autem apud Haloandrum.
2 Quid dos? nunquam inſinuanda. *l. ult. C. de jure dot.* licet a veteribus nominata inter donationes *l. ult.* §. 1. *C. de donationibus ante nupt.* Et conſtitutionibus regni Galliæ, & dos, & omnes contractus inſinuantur, ut falſitatis nulla ſit occaſio: longe melius, quam Leonis Novell. 50. quæ donationibus ſcriptis inſinuationem remittit. 3 Intimationi. Julianus *hic*, *n.* 425. 4 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Eo decurſum. Cod. de donationibus ante nupt.* 5 Utilitas inſinuationis. 6 *l.* 6. *in fin. l.* 7. *ff. de edendo.* 7 Quotæ quantitatis donationes inſinuandæ ſint. 8 Qua in urbe, ſeu quo in loco donationes propter nuptias inſinuandæ. 9 Apud quem judicem donationes propter nuptias inſinuandæ. 10 Inſinuatio donationis propter nuptias valet ex parte uxoris: ex parte viri non valet, cum donatio non inſinuata ei non pariat æquale lucrum ex dote in caſum mortis uxoris, vel injuſti repudii. 11 Et ita abrogatur *Nov.* 119. *c.* 1. quæ remittebat viro inſinuationis neceſſitatem, abrogantur eodem modo leges aliæ, quæ volebant donationes propter nuptias omnimodo inſinuandas, etiam ex parte mulieris, niſi donatio collata fuiſſet in matrem familias minorem vigintiquinque annis, vid. *l.* 17. *C. de donat. ante nupt.* 12 De his qui ſecundas contrahunt nuptias, Jul. *hic num.* 406. Goth. Adde *Novell.* 98. & Ritterſhuſ. *part.* 5. *cap.* 15. Anſ. 13 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si tamen. C. de ſecund. nupt.* 14 Abſtinens ſecundis nuptiis donationis antenuptialis uſu fruitur: in virilem vero proprietatis bonorum concurrit cum liberis mariti defuncti, adde *Novell.* 22. *c.* 30. & abrogatur ita *Novell.* 98. *c.* 1. quæ vult, ut proprietas propter nuptias donationis ſervetur filiis. Sed huic Novellæ derogatur per *Novellam Leonis* 22. 15 Jul. *num.* 427. 16 Pœna, quæ mulieribus, eadem maritis diſſidium, ac divortium facientibus eſt impoſita, abrogantur itaque leges, quæ gravioribus pœnis mulieres coërcebant, vide Julianum *hic n.* 427. hic enim uterque ſine cauſa repudium mittens, in monaſterium detruditur. adde *Nov.* 134. *c.* 11. Vide Cujac. *ad Nov.* 22. *fol.* 76. 17 Paribus delictis, par imponenda eſt pœna. 18 Id eſt, anno 548.
19 De exactionibus ſive delegationibus tributorum, Julianus *conſt.* 124. de exactione publicorum tributorum, *Index Reginæ*: περὶ τῆς τῶν δημοσίων ἀνύσεως καὶ καταβολῆς καὶ ἑτέρων κεφαλαίων *Scrimg.* de publicis tributis exigendis, & ſolvendis neque non aliis capitulis. *Haloand.* 20 Ὑπὲρ ἑκάστου ἰούγου ἢ ἰουλίων ἢ κεντουρίων. *Scrimg.* & *c.* 3. J. *hic*, ut *Nov.* 17. *in Baſilicis*, ἰουλίων. ἰουγαλίων legit Cujac. *ad l. pen. C. ut nemini liceat in coemption.* ἰουγαλίων vocabulo intelligit ζυγοκέφαλα, id eſt, jugationem & capitationem ſimul, quam nonnulli præſtant: aliis ſolam jugationem præſtantibus. *Goth.* Vid. Ritterſhuſ. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 22. adde *Nov.* 17. 95. & 130. 21 Centenariis Jul. *hic*: Centuria *hic*, & *in l.* 1. *C. Theod. de annonis & tributis lib.* 11. ducenta jugera, Varro 4. *de lingua*: Siculus Flaccus *de cond. agr.* Hyginus *lib. de limitib.* hinc centuriatio apud eundem Flaccum. 22 Indictionum initia erant menſe Septembri ut J. *hic.* & *l. ult. C. de annonis & tributis. l.* 1. *C. de milit. veſte.* 23 Id eſt, initio, ex ordine cujuſque indictionis Jul. *hic num.* 543. 24 De apochis publicis Jul. *n.* 544.
25 Ἀποχὰς ἢ ἀμεριμνίας. 26 Πληναρίας. *Scrimg.* Plenariæ apochæ ſunt totius debiti apochæ generales. Eodem forte ſenſu dicuntur in edicto de Alexandrinis *cap.* 23. §. 1. Gregorius plenariam minutionem dixit 4. *epiſt.* 27 *En quelle eſpece le payement a eſté fait.* 28 Τῶν ἰούγων ἤτοι τῶν ἰουλίων. *Scrimg. hic ut ſupr. hic in pr.* 29 Dixi *ſupr. in pr.* 30 Ἀποχὰς ἤγουν ἀμεριμνίας. *Scrimg.* 31 Jul. *hic n.* 545. 32 Τῶν δημοσίων ἀπογραφῶν φύλακας. *Scrimg.* Id eſt, cenſuales. *Nov.* 17. *cap.* 8. 33 Sic legunt Græci, ὥστε μὴ ἀνάγκην ἐπάγεσθαι τοῖς κτήτορσιν ὑποδέκτας ὀνομάζειν τοὺς ἐν χρυσίῳ συντελεστάς. *Scrimg.* id eſt, ne qua poſſeſſoribus inducatur neceſſitas, ut aurariæ contributionis ſuſceptores nominent. 34 Græci ita legunt, εἴτε ἄρχοντες εἶεν, εἴτε πολιτευόμενοι εἴτε ἐξάκτορες, εἴτε βίνδικες, εἴτε κανονικάριοι, ἢ ἄλλοι τινές. *Scrimg.* 35 Vindices ab Anaſtaſio creati Nicephor. 16. *c.* 44. ita dicti, quod iniquis exactionibus curialium eſſent oppoſiti, adempta curialibus exigendi facultate, ut Evagrius ſcribit, de quibus *Nov.* 38. *in pr.* & 134. *c.* 2. ubi plenius dicam de vindicibus. 36 Vid. *c.* 6. 37 Canonicarii Palatini mittuntur in provincias ex ſcrinio canonum ad exigendos ſolemnes titulos fiſcales ſeu canones: mittuntur autem vel a comite domorum vel præpoſito ſacri cubiculi *Novell.* 30. vel a comite privatarum, ut eſt in formula Caſſiodori: Canonicarios dirige. Iidem ſcriniarii dicuntur. *Nov.* 134. *cap.* 2. 147. Novella Majoriani *de indulg. rel.* Canonicarios autoritate terribiles & in provincialium viſcera & damna ſævientes. *poſt.* Canonicariorum venalis improbitas. ut differant a vindicibus, vide quæ dicam ad *Novell.* 134. *cap.* 2. adde Cujac. *hic.* his adde Julian. *hic num.* 547. 38 Nominatorum. Jul. *d. loco.* 39 Et ita abrogatur lex ultima *Cod. de exact. trib.* 40 Ἐπιδευτήν. *Hal.* ἐξπελευτήν. *Scrimg.* expelleutam. Jul. *hic.* expulſorem. *Agylæus.* 41 Impulſoris ſc. ſeu compulſoris. 42 Solatiis. Jul. *hic.* 43 Quando ſteriles agri fertilibus imponuntur. Jul. *hic num.* 548. περὶ ἐπιβολῶν. quod onus fuiſſe τῶν ἐρήμων καὶ ἀπόρων χωρίων, & Juſtiniani tempore invaluiſſe ſcribit Suidas. qua de cauſa multæ conſtitutiones Juſtiniani novæ latæ ſunt, ut 17. 166. 168. 44 Ἐπιβολήν, ἐπιβολή, eſt ſuperindictio, ſive ſuperindictum. J. hic intelligitur fieri, quoties defecti agri onus fertili imponitur. 45 Οἱασδήποτε κτήσεως ὁμοδούλων ἢ ὁμοκήνσων. *Scrimg.* agri ὁμόδουλοι ſunt in cenſum relati cum aliis, qui poſtea facti ſunt deſerti ὁμόκηνσοι, ſimul cenſiti quidem, ſed quarum pars vendita eſt, ὁμοδούλων & ὁμοκήνσων agrorum onus pertinet ad fertilium agrorum poſſeſſores, & poſſeſſorem ditiorem vel præſentem *cap.* 8. J. *hic.* ne quid alioquin fiſco depereat. Eadem ratione agrorum defectorum & deſertorum onus ad ὁμοχώρους, id eſt, ejuſdem territorii poſſeſſores pertinet. *Nov.* 17.

mus ſuperindictum ſuſcipientem exigi pro eo fiſcalia [1] ex quo tradita eſt ei ſuperindicta poſſeſſio. Non aliter autem ſuperindictum [2] fieri: niſi ex reſcripto de hoc examinatio fiat apud provinciæ judicem, & ſententia ejus procedat, definiens eum qui debet ſuperindictum ſuſcipere. Si quis autem putaverit ſe lædi, liceat ei provocare: ut in foro glorioſiſſ. præfectorum appellatio examinetur, & ſecundum leges terminum ſuſcipiat.

CAP. VIII.

SI vero aliquando contigerit dominum cujuscunque poſſeſſionis aut [3] non apparere, aut ad fiſcalium ſolutionem non ſufficere, ut ex hoc ſuperindictionis neceſſitas ſuſcipiatur: jubemus hanc repente tradi iis qui conſerva [4] aut contributaria prædia poſſident, cum omnibus, qui in ea inveniuntur agricolis, & peculiis eorum, & enthecis [5], & fructibus, & animalibus, & omni alio inſtrumento ibi invento. Si vero aut perſona quæ debeat eam ſecundum legem ſuſcipere, non inveniatur, aut alio quocunque modo differri ſuperindictum [6] contigerit, jubemus geſta confici apud provinciæ judicem, ſignificantia & qualitatem & ſtatum ejus poſſeſſionis, & omnia in ea inventa, ut ſic eam curiales aut exactores [7] aut officiales ſuſcipiant: & ſi poſtea inveniatur, qui debeat eam ſecundum leges ſuſcipere, non aliter fieri, niſi ut quod per occaſionem exactorum, aut curialium, aut judicum, aut officialium ejus pejus aut minus factum eſt, ei qui ſuſcipit, reſtituatur.

CAP. IX.

HOc quoque jubemus, ut pro pecuniis aut ſpeciebus in provinciis expenſis non exigantur collatores ea quæ dicuntur transmiſſoria [8]: pro iis autem quæ transmittuntur, non amplius præberi horum, quæ ex initio in unaquaque provincia deputata ſunt.

CAP. X.

EOs autem qui in provincias pro quibuscunque publicis exactionibus diriguntur, non aliter inchoare exactionem, niſi prius provinciali judicio inſinuaverint [9] impoſitas ſibi de hoc juſſiones: ut exolventes fiſcalia tributa, nulli pro his periculo aut damno ſubjiciantur: hoc ipſo & ſuper privatis negotiis obſervando [10].

CAP. XI.

HOc quoque jubemus eis quibus fiſcalium exactio injungitur, nullam [11] privatarum cauſarum executionem committi: ſed & ſi quid eis tale injungatur, nullo modo præſumere eos hoc agere: ne occaſione publicarum functionum noſtri ſubjecti lædantur.

CAP. XII.

SI autem aliquis pro veritate publica debens tributa dicat executori eſſe ſibi alium debitorem: non licere executori moleſtiam aliquam denominato inferre, niſi [12] prius debitor probetur nullo omnino modo poſſe publica tributa perſolvere. Hoc tamen prius requiri apud judicem provinciæ ſi pro veritate debitor eſt is, qui denominatus eſt, & ita fiat exactio: in utroque vero caſu ſi quis aut exequi aut exigere citra ea quæ a nobis diſpoſita ſunt, præſumpſerit: & cingulo nudabitur & confiſcabitur, & exilio tradetur. Qui autem injunxerit aut præceperit judex: decem librarum auri exigatur pœnam, & officium ejus quinque librarum auri ſubjaceat pœnæ.

CAP. XIII.

NUlli vero penitus liceat publica tributa exigentium, neque cenſualibus, aut rationum ſcriptoribus, aut aliis quibusdam publice miniſtrantibus, excuſatione uti, *quod* [13] *in ſacro loco reſideant*, contra eos, qui dicunt ſe læſos ab eis in fiſcalium exactione.

CAP. XIV.

NUllus autem penitus moleſtetur pro [14] tributis terrarum quas non poſſidet, ſed etiam ſi contingat agricultores alicui competentes, aut adſcriptitios propriam habere poſſeſſionem, illos moleſtiam ſuſtinere, niſi forte [15] propria voluntate tali functioni ſe fecit obnoxium.

CAP. XV.

EOs autem qui publica tributa exigunt, juſtis [16] ponderibus [17] & menſuris [18] uti præcipimus: ut neque in hoc noſtros tributarios lædant. Si autem collatores putant gravari ſe ſive in menſuris, ſive in ponderibus: habeant licentiam ſpecierum [19] quidem menſuras & pondera a glorioſiſſimis præfectis: auri [20] vero & argenti & reliquorum metallorum pondera a glorioſiſſimo per tempora comite ſacrarum largitionum accipere: & has menſuras & pondera in ſanctiſſima uniuscujusque civitatis eccleſia [21] ſervari, ut ſecundum ea & gravamen collatorum, & fiſcalium illatio, & militares & aliæ expenſæ fiant.

CAP. XVI.

CIvitatum vero noſtræ reipublicæ & habitantium eas perfecte proſpicientes, jubemus nullam omnino eſſe licentiam fiſcalium [22] exactoribus communicare pecuniis, quæ [23] operibus [24] & frumentis civitatum, & aquæductibus, aut aliis quibuslibet ſolennitatibus, aut ſalariis [25] deputatæ ſunt: aut retinere aliquid ex iis, aut ad proprium lucrum redigere: ſed ſine [26] aliqua dilatione aut imminutione has præbere, ut proficiant ab initio in quibus deputatæ ſunt operibus: ſed neque poſſeſſores ab habitatoribus civitatum præſumere quolibet modo auferre aliquid ex iis pecuniis aut nomine deſcriptionum, aut pro ſportulis ſive aliquid ex his aut expendere. Si quis autem dare aut accipere ex his præſumpſerit: jubemus eum de ſuo in duplici quantitate hoc civitati reddere. Sed neque provinciarum judices, aut eorum officia, aut alium quemlibet omnino participium habere aliquid ad prædictas pecunias, aut eorum diſpenſationi ſemetipſum miſcere, ſed civitatis ſanctiſſimum epiſcopum & primates [27], nec non & ejus poſſeſſores conſtituere quidem patrem [28] civitatis, & frumentarios [29], & alios hujuſmodi diſpenſatores. Singulis autem annis impletis, ſanctiſſimum epiſcopum cum quinque primatibus civitatis rationes exigere eos qui ab ipſis ordinati ſunt: & ſi quid ex talibus ratiociniis apparuerit debitum, aut remanſiſſe: exigi hujuſmodi diſpenſatores periculo eos conſtituentium: & utilitatibus quibus deputata ſunt, reſervari. Si quis autem ex prædictis diſpenſatoribus inefficax inveniatur: repente hunc removeri jubemus, aliumque pro eo a ſanctiſſimo civitatis epiſcopo, & reliquis poſſeſſoribus (ſicut prædictum eſt) ordinari: ſcientibus iis qui denominant eos, quia ſi quod damnum civitati contigerit, ex propriis ſubſtantiis hoc medebuntur.

CAP. XVII.

NUlli vero liceat eorum qui in officio ſunt glorioſiſſimorum præfectorum [30] aut in alio officio, aut in ſchola conſtitutorum talia ratiocinia committi, neque ex præcepto cujusdam adminiſtratoris, aut alterius judicis ſcriptis, nec ſi pragmaticam, aut aliam ſanctionem, aut ſacram commiſſionem acceperit, præcipiens ei aliquid tale. Sed ſi quid ſiat hujuſmodi, licentiam habere uniuſcujuſque civitatis ſanctiſſimum epiſcopum, & ejus primates, non reſpondere pro memoratis capitulis talibus perſonis: referre autem ad nos, ut hoc agnoſcentes, & illatum civitatibus damnum ex eorum ſubſtantia reſtitui jubeamus, & competentem vindictam talibus inferamus.

CAP. XVIII.

SUper hoc jubemus, ſcriniarios [31] operum ſub præfecto ſacrorum prætoriorum conſtitutos, nullum participium ad [32] talia ratiocinia omnino habere: vacantibus omnibus, per quæ eis ſive generaliter, ſive ſpecialiter aliquid tale pridem conceſſum eſt, aut poſtea impetretur, pro prædictis enim cauſis rationes nulli committi volumus, niſi nos prodeſſe civitatibus exiſtimantes virum opinionis bonæ, & dignitate ornatum elegerimus, qui debeat a nobis in ſcriptura divinam juſſionem percipere continentem noſtram piam ſubſcriptionem, & illius nomen & dignitatem, & cauſas & tempora, quorum ei ratiocinia committimus. Eos autem qui a talibus perſonis rationes exiguntur, omnem habere tutelam jubemus, aliquam quæſtionem nullatenus ſuſtinentes.

CAP. XIX.

AD hæc ſancimus in [33] nullo noſtræ reipublicæ loco eundem [34] epiſcopum [35] & judicem eſſe, & loci ſervatorem glorioſiſſimorum præfectorum aut magiſtrorum militaris cinguli: ſed nec aliquam exactionem fiſcalium tributorum agentem loci ſervatorem eſſe glorioſiſſimorum præfectorum aut magiſtrorum militum, & ſimpliciter dicendum eſt nullum in provinciis fieri loci ſervatorem præfectorum, niſi per noſtram juſſionem in expeditionibus, ubi utilitas exigit loci ſervatorem mitti ejusdem præfecturæ qui debeat providere militaribus expenſis. Si quid autem extra hoc delinquatur & committatur: qui quidem loci ſervatorem ſuum fecit, triginta librarum auri pœnam exigetur, reſtituturus omne damnum quod per eum qui ab eo directus eſt, aliquis pertulerit: qui vero fieri præſumpſerit, proprio cingulo & dignitate & militia privabitur, & decem librarum auri pœna multabitur.

CAP. XX.

AD hæc prohibemus [36] & in provinciis exiſtentes judices civiles & militares, in civitatibus aut caſtris *loci ſervatores* [37] in commiſſis ſibi provinciis facere, ex quo videlicet in provinciam acceſſerint, & in quantum in ea adminiſtrant: quinque auri librarum pœna imminente tam facienti loci ſervatorem judici, quam fieri præſumenti. Antequam vero in provinciis veniant judices damus eis licentiam vices agentes ſuos inſtituere, qui debeant omnia usque ad ſui præſentiam agere, quæ poſſunt ipſi judices facere: citra tamen noviſſimum ſupplicium, aut membri inciſionem. Sed ſi quis ex judicibus ſecundum juſſionem noſtram in aliam regionem mittatur, liceat ei per ſimilem modum loci ſervatorem ſuum facere.

CAP. XXI.

JUbemus [38] autem omnes judices tam militares, quam civiles per ſe requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum, aut fœminarum, aut alia quælibet in provinciis illicita committunt, & ſupplicia eis legitima inferre, neque pro his cauſis accipere aliquid conſuetudinis nomine: ut omnes undique noſtri collatores illæſi ſerventur, non enim permittimus cuilibet majori aut minori militari judici, aut latronum inſecutores [39], aut violentiarum inhibitores, aut tribunos pro talibus cauſis in provinciis ordinare, aut qui debeant aliquos examinare [40]: ut non per tales occaſiones ampliores violentiæ inferantur provincialibus. Si quis autem judicum hoc non cuſtodierit: cognoſcat non ſolum ſe commiſſo ſibi cingulo ſpoliandum, ſed decem librarum auri pœnam exolvere, eo quod præſumpſerit talem cauſam aſſumere: poſt tormenta vero & confiſcationem ſubſtantiæ in exilium redigendum & relegandum.

1 Τὰ δημόσια. 2 Sive ſuperindictio 𝔖. hic. 3 Julian. hic num. 549. 4 Ὁμόδουλα ἢ ὁμόκηνσα. Scrimg. 5 Καὶ ἐνθηκῶν entheca dotes prædiorum Hal. inſtructum Jul. hic. l. 34. §. 1. ff. de leg. 2. l. 2. ff. de inſtructo. Dotes prædiorum, ſunt inſtrumenta & ferramenta agri cauſa repoſita. l. 29. in fin. ff. de leg. 3. & 1. Columell. 8. 6 Superindictum quid eſſet, dixi ſupr. c. 7. 7 Græci ita legunt: οἱ πολιτευόμενοι ἢ βίνδικες ἢ ταξεῶται. 8 Παραπομπικὰ Scrimg. Jul. hic n. 550. l. ult. C. de diſcuſſorib. eadem ἀγωγικά. Sunt autem ſpecies a provincialibus illatæ & eorundem ſumptibus transmitti ſolitæ. 9 l. ult. Cod. de executoribus & exactoribus, Jul. hic n. 551. 10 Fuit hæc Placentini ſententia, de qua diſputat Accurſ. in l. 39. §. 1. ff. de procur. Procuratorem ſcil. creatum exigendi debiti cauſa, non prius admitti, quam ſi judici mandatum inſinuaverit: niſi reus contentus ſit cautione de rato: vel niſi procurator ex proximis perſonis ſit. l. 12. C. de procuratoribus. 11 Jul. hic num. 552. 12 Exactor publicorum tributorum debitores ſui debitoris aliter convenire prius non poteſt, quam ſi debitor publicus ſolvendo non ſit. Jul. hic n. 553. l. 3. §. 8. ff. de jur. fiſc. l. 4. Cod. quando fiſcus vel privatus. 13 Λόγῳ ἀσυλίας κεχρῆσθαι. Nov. 17. c. 6. Exactor tributorum, cenſualis, logographus, & ſimiles perſonæ, ſi quem provincialium læſerint, & poſtea confugerint in eccleſiam, jure aſyli non fruuntur: tributorum debitoribus jus aſyli denegatur Nov. 17. c. 7. §. 1. 14 Jul. hic n. 555. & ita prohibentur clarigationes. l. 4. C. de execut. & exact. l. 16. C. de omni agro. Nov. 52. 15 Dominus ſcil. alias dominus pro colono adſcriptitio non eſt conveniendus l. 4. C. de agricolis & cenſitis.

16 Jul. hic n. 556. l. 9. C. de ſuſceptor. l. pen. C. de defenſorib. civitat. 17 De ponderibus falſis, vid. l. 32. §. 22. ff. de furtis. l. 6. §. 1. ff. de extraord. crim. l. penult. in fin. ff. ad l. Corn. de falſis. Goth. Vid. Rittershuſ. part. 3. ¶ 13. Anſ. 18 De falſis menſuris vid. l. 6. in fin. ff. de extraord. crimin. 19 Menſuræ ſpecierum tradebantur a præfecto prætorio. 20 Pondera auri, argenti & æris a largitionum Comite tradebantur. 21 Deponi. vid. d. leg. pen. 22 Tributorum, Jul. hic n. 557. 23 Exactores tributorum tractabant pecunias civiles, deſtinatas annonis civilibus, operibus publicis, vel ſalariis profeſſorum. Nam principes eas quodammodo ſibi vindicabant, l. 2. C. de petition. bon. ſublat. ſed non boni. 24 Poſſis huic executori comparare, quem Galli vocant Receveur des fortifications ou baſtimens. 25 Puta profeſſorum. 26 l. ult. C. publicæ lætitiæ. 27 Τοὺς πρωτεύοντας τῆς πόλεως, id eſt, locupletiores, l. ult. C. ut nemini liceat in coempt. 28 Pater civitatis, curator reipublicæ. 29 Σιτώνης. 30 Id eſt, nulli præfectiano, neque ſcriniario, Jul. hic num. 558. 31 Scriniarii operum qui, adde l. ult. C. de num. 32 Πρὸς τὰ τοιαῦτα λογοθέσια. 33 Ut idem non ſit judex & loci ſervator. 34 Jul. hic n. 559. 35 Hæc vox, epiſcopum, ſuper eſt, nec legitur a Græcis, vult itaque, ut nullo Reipublicæ Romanæ loco idem & præſes & vicarius ſit præfecti prætorio vel militaris cujuscunque magiſtratus. 36 Jul. hic n. 560. 37 Τοποτηρητὰς, de quibus vid. Novell. 8. c. 4. Agylæus vertit vicarios. 38 Jul. hic n. 561. 39 Ληστοδιώκτας ἢ βιοκωλύτας, de quibus vid. Novell. 8. cap. 13. 40 Exarmare ἀφοπλίζειν. Scrimg. de aphopliſis vide d. c. 13.

CAP. XXII.

AD hoc jubemus provinciarum judices, & officia eorum, ſi quando [1] de civitate ad civitatem veniunt, neque [2] angariis neque deſcriptionibus, aut aliis expenſis collatores gravare: ſed ex deputatis ſibi de fiſco annonis expenſas facere.

CAP. XXIII.

SUper hoc ſancimus provinciarum judices omnibus modis poſt depoſitionem cinguli quinquaginta [3] dies in provinciis commorari, & conventiones aliquas contra ſe moventibus reſpondere. Si vero contigerit aliquem ex eis ante completos quinquaginta dies deſerere provinciam: jubemus omnes ab eo damnum aliquod paſſos ſimul ingredi apud ſanctiſſimum metropoleos epiſcopum ejusdem provinciæ & ſub geſtis monumentorum unumquemque tangentem ſancta evangelia palam facere illata diſpendia: & ex illius ſubſtantia, contra quem talia facta ſunt monumenta, omne damnum læſis reſtitui providentia & periculo per tempus præfectorum ejusdem provinciæ: ſcientibus quia ſi hoc complere neglexerint, ipſi de propriis facultatibus omnia damna læſis reſtituere compellentur.

CAP. XXIV.

SI quis autem ex judicibus provinciarum aut evocetur ad aliam adminiſtrationem, aut opus ad aliam provinciam ei credatur: jubemus eum legitimo [4] procuratore conſtituto conventiones pro damnis proponentibus reſpondere: quod niſi fecerit, ſancimus monumenta apud ſanctiſſimum epiſcopum (ſicut ſuperius dictum eſt) agi, & pro damnis illatis, eis jurantibus, ſecundum geſtorum virtutem omne damnum reddi, providentia ſimiliter, & periculo per tempus præfectorum & uniuscujusque provinciæ tractatorum [5].

CAP. XXV.

OMnes [6] autem pecuniarias pœnas, quæ præſenti lege continentur, a comite [7] per tempus privatarum exigi eos qui præſentem legem non ſervant, & noſtro fiſco vindicari ſancimus: qui niſi eas vindicaverit, ipſe cum miniſtrante ſibi ſchola ex propria facultate hujuſmodi quantitatem ſolvere cogatur.

EPILOGUS.

† Quæ igitur per præſentem legem noſtram ſalutarem, in perpetuum valituram, pro utilitate & ſtatu noſtrorum collatorum diſpoſuimus, tua gloria inviolata & immota per omnia ſervare feſtinet, & ad omnium notitiam pervenire faciat: edictis quidem in hac regia civitate ſolenniter propoſitis: præceptis autem ad clariſſimos provinciarum judices directis, ut per eos omnibus collatoribus manifeſta fiant. Dat. Id. Jun. Dom. JUSTIN. PP. Aug. * BASIL. V. [8] C. CONS.

TIT. XII.
DE SAMARITIS [9].

NOVELLA CONSTIT. CXXIX.

Idem Auguſtus Areobindo P. P.

PRÆFATIO.

NUllum ita magnum ſubjectorum noſtrorum delictum eſt, quod non noſtra clementia medeatur. Licet enim eorum facta odio habentes ad vindictam pro eis inſurgamus, tamen tempus medentes [10] & commonentes modis competentibus delinquentes, rurſus ad noſtram clementiam remeamus, juſtitiam iracundiæ, benignitatis reconciliantes rationibus, quale quiddam & præſens noſtra celebrat lex. Samaritas [11] enim pridem atroces & elatos contra Chriſtianos & in omnium velut noviſſimam ſuperbiam excedentes plurimis quidem pœnis affliximus, una [12] vero maxime, *quod neque teſtamenta ipſi poſſunt conſcribere, neque hi defuncti absque teſtamento, cognatis qui ab inteſtato vocantur, hereditatem transmittere, niſi ad hereditatem ex utraque cauſa* [13] *vocatos rectæ Chriſtianorum fidei eſſe contingeret.* Interdiximus autem eis *& legata dare & donationes ſcribere, aut aliquas omnino alienationes in ſuis ponere rebus, niſi forſan orthodoxa fide percipiens perſona eſſet.* Licet autem lege generali hæc comprehendentes tunc meminerimus, tamen non eandem in operibus [14] quam in literis [15] ſubtilitatem reſervavimus. Nam neque [16] noſtrum fiſcum, nec aliquam publici partem ex his quicquam accipere paſſi ſumus, licet hoc expreſſim lex daret.

CAP. I.

NUnc itaque ad moderationem reductos videntes eos, & nobis ipſis indignum eſſe putantes in iisdem permanere terminis, contra eos qui non ſimilia prioribus languent, præſtantes maxime omnium Sergii ſanctiſſ. Cæſarienſium metropolis epiſcopi juſtis petitionibus [17], quas pro eis facit, teſtimonium quidem perhibentis meliores eos factos: quietem vero eorum futuro tempore promittentis, ad præſentem ſacram noſtram venimus legem, per [18] quam ſancimus, licentiam [19] eſſe Samaritis jam ſcribere teſtamenta, & ſuas proprias diſpenſare ſubſtantias, ſicut & aliæ præbent leges, & per præſentem nos decernimus, & ſine teſtamentis morientes, ab inteſtato vocatos ſecundum imitationem aliorum hominum heredes habere eos præter ea quæ per præſentem noſtram transponimus legem. Sed & donationes eis permittimus ſcribere & legata dare & accipere, & hujuſmodi contractus facere cum omni licentia. Qui enim teſtari [20] dedimus eis & omnem diſpenſare ſubſtantiam, quomodo de particulari diſpenſatione negabimus?

CAP. II.

SEd tamen non eundem reddimus ordinem & Chriſtianis ſucceſſoribus & Samaritis. Iterum vero & merito, meliora [21] ſectantibus privilegium præſtamus. Unde ſi quis eorum ſine teſtamentis moriatur, & filios ad Deum diſcretos reliquerit, ſoli vocabuntur ad hujuſmodi hereditatem, qui rectam Chriſtianorum allegant fidem, aliis excluſis, quicunque ipſo detinentur quo defunctus errore. Hæc autem dicimus non ſuper filiis ſolis, ſed etiam aliis cognatis ex quacunque ſint linea, ut recta ſectantes, illis qui non proxima colunt, præponantur, tamen ſi eundem, qui vocantur, omnes gradum accipiant, aut unam ad hereditatem habeant vocationem [22]. Non enim his qui ex longiore gradu ſunt, & a vicinioribus excluduntur, licet meliora ſectantibus, proximorum damus prælationem aut privilegium.

CAP. III.

NEc tamen pœnitentiæ [23] locum in cauſa excluſis, auferimus & ex hoc. Nam ſi voluerint & poſtea ad rectam fidem Chriſtianorum reverti, qui pro hoc hereditate excluſi ſunt, ſuas recipient portiones, ita vocandi ad hereditatem tanquam ſi rectæ hujus religionis extitiſſent, ſolis fraudati medii temporis fructibus. Si vero & teſtamenta ſcripſerit aliquis eorum, valere quidem ea quantum ad religionem jubemus. Si autem pater aut etiam aliquis deſcendentium [aut etiam aſcendentium] ſit, qui teſtamenta conſcribit, ſi quidem omnes ex ordine qui ad hereditatem vocantur, ejusdem quo pater erroris ſint, his non relinquat ultra [24] duas ſubſtantiæ uncias, reliquis ad eos qui recte colunt deferendis. Tamen niſi aliquis forte Chriſtianis ex ipſis reliquerit legata, ſervanda etiam hic pœnitendi loco volentibus, ut poſſint æqualitate frui cum eis qui ab initio Chriſtiani fuerint, ſicut ab inteſtato decrevimus. Ad hunc itaque ordinem & partem, & de inofficioſo damus aſcendentibus & deſcendentibus & recta ſectantibus dogmata, & forte læſis per celebratas in teſtamentis rerum diviſiones.

CAP. IV.

COncedimus autem eis & donationes dare, & accipere, & legata relinquere, & libertatibus ſervos honorare, contrahere quoque ad invicem, nihil ea quæ a nobis pridem [25] poſita eſt, prohibente lege: noſtrum enim fiſcum & aliam omnem publici partem excludimus [26] omnino, nullum ex illa lege ad eorum hereditates eorumque ſubſtantias aut documenta participium habere valentibus. Hæc autem dicimus non in futuris ſolum, ſed etiam in [27] præteritis [28], ut neque pro his quæ tunc facta ſunt, aut noſter fiſcus aut alter omnium, ſubſtantias perſcrutetur eorum. Qui enim in [29] futuris clementiam dedimus, quomodo de præteritis ſubtilem tractatum haberemus? ut omni modo præſentem noſtram clementiam promerentes, gratias Deo profiteantur, & nobis & Sergio [30] ſanctiſſimo ad hanc nos quam maxime circa eos provocanti clementiam.

EPILOGUS.

† Tua igitur gloria noſtram in eis declaratam humanitatem per præſentem noſtram legem cognoſcens, manifeſta per provincias ſolennibus edictis, quæ nunc nobis placuerunt, faciat, ut perpetuo hoc ipſi fruantur auxilio. Dat. 17. Kal. Jul. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Aug. Anno XXV. [31] BASILIO V. C. CONS.

TIT. XIII.
QUOMODO OPORTEAT MILITES TRANSITUM [32] IN CIVITATIBUS FACERE, ET DE INTROITU.

NOVELLA CONSTIT. CXXX.

Idem Auguſt. Petro prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

PRimum & maximum arbitramur ſtatum eſſe noſtræ reipublicæ, ut inculpabiliter noſter exercitus in itineribus converſetur, & innoxietas atque indemnitas noſtris collatoribus cuſtodiantur.

CAP. I.

JUbemus igitur quoties tranſitus fit noſtrorum judicum & exercituum, delegatores [33] ſimul eſſe cum eis qui curam habeant eorum alimenti, & ſingularum provinciarum judices per quas tranſitus fit, præparationem facere expenſarum, ut noſtri exercitus in unamquamque provinciam adſcendentes, inculpabiliter converſentur, & uniuscujusque numeri optiones [34] ſuſcipere ſpecies ſine qualibet tergiverſatione, & erogare magiſtris militum & militibus in ſpecie præbitas annonas, habere autem eosdem optiones deputatam ipſis occaſione emolumenti quintam decimam [35] portionem. Ex conſuetudine autem & re-

1 Jul. *hic n.* 562. 2 *Nov.* 17. *c.* 9. 3 Jul. *hic n.* 563. vid. *Nov.* 8. *Nov.* 95. *Nov.* 161. *l.* 1. *C. ut omnes judices.* *l.* 3. *Cod. de adſeſſorib.* de diebus 50. v. Cuj. *c.* 12. *de præſc.* 4 Jul. *hic n.* 560. 5 Τρακτευτῶν, tracteutarum. Jul. *hic.* de quibus dixi ad *Nov.* 30. *c.* 2. 6 De multis & pœnis exigendis per Comitem rerum privatarum. 7 Comes privatarum rerum pœnam hujus legis exigit. Julian. *hic n.* 365. 8 Id eſt, anno 541.

9 Samaritæ, *Nov.* 144. Julian. *conſt.* 116. *l.* 12. *l.* 17. *l.* 21. *C. de hæret.* *l.* 2. *C. ne Chriſtian. mancip.* *Edict.* 9. *Juſtinian.* 2. & 1. *Eclog. c.* 1. περὶ αἱρετικῶν. Epiphan. 1. *tom.* 1. *hereſ.* 9. qui & Samaritani. 10 Id eſt, tempus hoc medendi præſentibus captantes, & convenienti modo caſtigatis iis, qui deliquerunt. 11 Samaritæ paganis dicuntur non abſimiles in *l.* 21. *C. de hæret.* unde & exprobrantur eis ſabbatha *Nov.* 144. *c.* 2. 12 *l.* 17. *C. de hæretic.* 13 Ἐφ' ἑκατέρῳ θέματι. id eſt, ex utroque themate, id eſt, ab inteſtato, vel teſtato, ut *l.* 17. *C. de hæret.* 14 Exequutione. 15 Legibus. 16 Hæreticos punientes leges, non ſemper ſtricte obſervatæ fuerunt ab Imperatoribus. 17 Hæreticos quietos tolerari & pœnis legum ſolvi, ſanctiſſimi interdum epiſcopi a Chriſtianis Imperatoribus petierunt. 18 Hæreticis Samaritis licentia datur teſtari, & ab inteſtato hereditates deferre: ut & donare, *ut hic.* Julianus *conſt.* 116. mentionem tantum facit juris inter ſe donandi, contrahendi, & ab inteſtato ſucceſſionis deferendæ. 19 Et ita abrogatur *d. lex* 17. ſed hæc conſtitutio mox abrogatur *Nov.* 144. 20 Argumentum nota, qui teſtamentum facere poteſt, idem & donare vel legare poteſt. eſt autem a teſtamento & ultima voluntate ad contractum & donationem. 21 Adde *Nov.* 115. 22 Id eſt, eundem ordinem habent. 23 Pœnitentibus hæreticis ignoſcendum, *ut hic.* Samaritæ in ſucceſſione, quæ ex teſtamento venit, ſi pœnitentiam egerint, nullam patiuntur læſionem. 24 Ut Chriſtiani de inofficioſo querelam habeant contra Samaritanorum teſtamenta ad duas usque uncias. 25 *l.* 17. *C. de hæreticis.* 26 Hodie non excluditur *Nov.* 144. 27 Lex extenditur ad præteritos interdum caſus, ſi nominatim eorum facta eſt mentio. vid. *l.* 7. *C. de legib.* 28 Retrorſum vires ſuas extendit hæc conſtitutio, id eſt, etiam in præteritum. Jul. *conſtit.* 116. *in fin.* 29 Quod in futurum indulgetur, videtur non indulgeri præteriti ratione (quod tamen hic ceſſat) E contrario, quod lex indulget in præteritum, in futurum vetat. *l.* 22. *ff. de legibus.* 30 Epiſcopo Cæſarienſi ſcil. *c.* 1. §. *hic.* 31 Legend. XV. id eſt, anno 541.

32 Περὶ παρόδου στρατιωτῶν. *Scrimg.* de tranſitu militum *Index Reginæ.* adde Jul. *conſtit.* 123. adde quæ ſcripſi ad *l.* 27. §. 3. *ff. de uſufruct.* Goth. Vide Rittershuſ. *part.* 1. *cap.* 2. *n.* 23. & *part.* 14. *cap.* 6. Anſ. 33 Delegatores qui & legatarii. Harmenop. 6. *tit.* 14. *ad finem quarti lib.* & Eparchicæ libris providentes annonæ militari. *Commiſſaires de vivres.* Annonæ per optiones exigebantur *l.* 9. *C. de exact. trib.* 34 Optiones erogant annonam *d. l.* 9. *l.* 3. *C. Theod. de corporibus publ.* & in Baſilicis ad *l.* 1. *ff. de munerib.* & *honorib.* optio militum pro diviſione annonæ ſumitur. vid. Cujacium *hic.* 35 Plerumque ſuſceptoribus certa pars datur rerum ſuſceptarum pro ſalario. *ut hic.* & *l.* 9. *C. de ſuſcept.*